

# ANACREON.

TIS TEII ANTIQVISSIMI  
poëtae Lyrici Odæ, ab Helia Andrea Latinæ factæ,

A.D.

## CLARISS. VIRVM PETRVM

Montaureum Consiliarium, & Bibliothecarium Regium.

Nec si quid olim lusit Anacreon,  
Deleuit ætas.



LUTETIA,  
Apud Robertum Stephanum,  
& Guil. Morelium.

M. D. LVI.

P E T R O M O N T A V R E O

Confiliario & Bibliothecario Regio,  
doctissimo clarissimōque viro,  
Helias Andreas, S.

**Q**VOD tibi sub discessum tuū  
nuper ostēderam, me Ana-  
creontis Odas tum animi,  
tum stili in hoc genere exer-  
cēdi causa, libenter versurum esse, ita fe-  
ci. Ad te verò ante omnes præcipue mit-  
tendas censui, ut pro ea molestia, quam  
ex nonnullarum lectione, quas tibi planè  
rudes ac vixdum inchoatas ausus sum o-  
stendere, percipere te oportuit, parē vo-  
luptatem, si possum, rependam, totum o-  
pus, si non planè perfectum, affectū qui-  
dem certè, & aliqua ex parte politū offe-  
rens, atq; adeò consecrans. Res enim co-  
git me lucubrationem meam, qualiscun-  
que est, nunc in lucem edere. Sed eadē res  
impedire non potest, quo minus eam ex-  
poliam, atq; te dignam, vt quidem spero,

A.ij.

4  
aliquando tandem efficiam. Tametsi argu-  
mētum est eiusmodi, vt apud graues vi-  
ros nihil leuius videatur, ob idq; te minus  
dignum. Sed venerandam antiquitatem  
mortaliū nemo magis admiratur, quam  
tu, quo nomine, vt sacerdos, totus tibi place-  
bit festiuus Anacreon, etiam Latinē lo-  
quēs. Cuius genus carminis præter reli-  
quas virtutes diligenter secutus fū. Duo-  
bus aut tribus omnino in locis obscenitatis  
tegenda gratia pusillum quiddam im-  
mutavi, aut præteriū. Totidem ferè locis  
parum integris mihi diuinādum fuit, nisi  
non attingere malui. Sed hæc ad te plu-  
ribus quam necesse est. Quamobrem finē  
faciam, ybi te etiam atq; etiā rogauero,  
vt hoc quicquid est monumenti summæ no-  
stræ in te obseruātæ, ea humanitate ac-  
cipias, quæ me tibi adhuc ita deuinxisti,  
vt nemini plus debeam. Vale. Lutetia  
viii. Calend. Ianuarias.



A N A C R E O N T I S  
Teij antiquissimi poëtæ Lyrici  
Oda, ab Helia Andrea  
Latinæ factæ.

D E LYRA.



ANTARE nunc A-  
tridas,  
Nūc expetesso Cad-  
mum:  
Testudo verò ner-  
uis  
Solum refert Amo-  
rem.

Mutanda fila nuper  
Curo, lyrāmque totam.  
Et Herculis labores  
Mox ordior, sed illa  
Sonans refert Amores.

A.iij.

Magni valete posthac  
Héroes ergo nobis:  
Nam barbiti iocosæ  
Solos canunt Amores.

## D E F O R M A .

Cornu duplex iuuencis  
Natura, & vngulas dat  
Firmas equis, pedésque  
Lepusculis fugaces,  
Leonibúsque dentes  
Vasto truces hiatu,  
Vim piscibus natandi,  
Volucribus volandi,  
Audaciam viris, nec  
Iam foeminis valebat.  
Quid his dat ergo? Formam.  
Pro parmulis & illam  
Dat, omnibúsque telis.  
Sic vincit ergo ferrum  
Puella, vincit ignem.

## I N C V P I D I N E M .

Media silente nocte,  
Vbi prona vertitur iam

Helice, ad manum Bootæ,  
Domitum & labore duro  
Hominum genus quiescit:  
Puer appetit, meásque  
Pepluit fores Cupido.  
Ego verò mox, quis, inquam,  
Mihi nunc fores laceſſit?  
Mea viſa dissipabis.  
Aperi, inquit ille, noli,  
Quia ſum puer, timere.  
Madefio totus imbre,  
Vagus erro nocte opaca.  
Ita cùm foret locutus,  
Misereſcimus, parata  
Aperimus & lucerna.  
Puerum quidem ferentem  
Video pharetram, & arcum,  
Video ferentem & alas.  
Statuo repente ad ignem.  
Ibi verò cùm ſederet,  
Manibus manus fouebam  
Pueri, quoad tepescant.  
Madidis comis & imbrem  
Gelidum leuè exprimebam.  
Mora nulla, cùm tepēret,

A.iiiij.

Vitiatur hic mihi arcus,  
 Libet, inquit, experiri:  
 Madet imbre nanque neruus.  
 Citus ergo tendit, hepar  
 Mihi figit & quasi cestrum.  
 Resilitque cum cachinno.  
 Simul inquit, hospes, euge,  
 Animo bono esto mecum.  
 Mihi nanque saluus arcus,  
 Tibi verò cor dolebit.

## M O L L I T E R V I V E N D V M.

Super hac virente loto  
 Recubans, supérque myrto  
 Tenera, bibam libenter.  
 Agedum Cupido vestem  
 Humeros supra reuinētus  
 Mihi poculum ministret.  
 » Cita nanque currit ætas,  
 » Rota ceu voluta currus.  
 » Iacebimūsque puluis  
 » Leuis ossibus solutis.  
 Lapii quid addis vnguen?  
 Quid humi rosas profundis?  
 Liquido velim capillos

Potius frices odore  
 Mihi, dum fruiscor æuo,  
 Roseam pares coronam,  
 Simul & voces amicam.  
 Siquidem, Cupido, nobis  
 Libet, antequam choreas  
 Acherusias petamus,  
 Ita dissipare curas.

## R O S A.

Rosam Amoribus dicatam  
 Age misceamus ipsam  
 Semeleio bibentes.  
 Foliis rosa decoris  
 Caput vndique impediti  
 Age molle rideamus.  
 Rosa singularis ô flos,  
 Rosa prima cura veris,  
 Rosa vel deūm voluptas.  
 Rosea puer Cythere  
 Caput implicat corolla,  
 Charitum vt choros frequentet,  
 Age verò me corona  
 Fidibus canam sonoris  
 Adytis tuis Lyæ.

Lepidáque cum puella  
Roseis nitens corollis  
Pedibus solum lacefam.

C O M V S.

Roseis quidem coronis  
Caput vndique impediti  
Hilarescimus bibentes.  
Speciosa verò thyrfos  
Strepitantibus flagellis  
Hederæ fērens sonantes,  
Pede prompta delicato  
Choreas puella plaudit,  
Cithara canente dulci.  
Puer at coma decorus  
Fidibus canore blando  
Liquidam suauè spirans  
Sociat subinde vocem.  
Amor aureo capillo,  
Etiam decens Lyæus,  
Etiam decens Cythere,  
Senibus quidem expetitum  
Properant videre Comum.

S O M N I V M D E A M O R E.

Sequar vt citato euntem  
Pede se iubet Cupido,  
Hyacinthinaque virga  
Rigidus premit morantem.  
Rapidas sequor per vndas,  
Nemora inter, atque valles.  
Miserū at momordit hydrus.  
Mihi verò cor sub ipsas  
Saliebat vsque nares,  
Subito & miser perisse.  
Sed Amor tum vtraque molli  
Quatiens caput mihi ala,  
Cruciariis, inquit, amens,  
Quia non vales amare.

S O M N I V M .

Tyrio in tapete noctu  
Facili fruens sopore,  
Hilaratus antè Baccho,  
Mihi cum puellularum  
Grege lusitans videbar  
Celeri volare cursu.  
Ibi verò molliores

Pueri bono Lyæo  
 Mihi virgines ob illas  
 Probra rursus ingerebant.  
 Volui suauari, at  
 Subitò excitum relinquunt.  
 Ita verò destitutus  
 Repeto miser soporem.

## C O L V M B A.

Amabilis columba  
 Dic vnde quæso prodis.  
 Dic aërem serenum  
 Penna secans volucrī  
 Spiras tot vnde tandem,  
 Et irrigas odores.  
 Quis est? rei quid autem?  
 Anacreon herus me  
 Emisit ad Bathyllum,  
 Nunc cuncta possidentem  
 Vnum, omniumque regem.  
 Nuper breui Cythere  
 Me mancipauit hymno.  
 Iam verò Anacreonti  
 Ego haec tenus ministro.  
 Quosdámque codicillos

En ipsius fero nunc,  
 Ob idque liberam me  
 Dicit breui futuram.  
 Verùm licet manu me  
 Mittat senex, ego illi  
 Seruire semper opto.  
 Quid attinet volare  
 Vel montibus, vel agris?  
 Et arbori insidere  
 Agreste nescio quid,  
 Siquid modò, c̄litantem?  
 Nunc verò pane vescor  
 Quem de manu reuello  
 Rapax Anacreontis.  
 Quod verò potat ille  
 Merum, mihi dat vtro.  
 At ipsa pota salto,  
 Herūmque Anacreontem  
 Alis obumbro passis.  
 Quiesco verò nocte  
 Super lyra recumbens.  
 Iam rem tenes : abito.  
 Cornice reddidisti  
 Me iam loquaciorem.

## C V P I D O C E R E V S.

Dum cereus cuidam  
 Venundatur Cupido,  
 Amice dicito, inquam,  
 Quanti indicas Amorem  
 Istum mihi, politum  
 Opus tuum? ille verò,  
 Quanti velis habe, inquit.  
 At rem scias vt ipsam,  
 Nil cereum ipse fingo.  
 Sed ferre nolo Amorem  
 Domi omnium appetentem.  
 Da verò, da mihi, inquam,  
 Drachma. cubabit iste  
 Mecum puer venustus.  
 At tu statim, Cupido,  
 Amabo, fac calescam.  
 Nam si negabis, ipse  
 Flamma statim liquefces.

## I N M V L I E R E S.

His vocibus procaces  
 Me fœminæ laceffunt,  
 Anacreon senex es,

## A N A C R.

Speclo intuere sumpto  
 Nullæ vt tibi comæ sint,  
 Ut læuis insuper frons.  
 At nescio supersint,  
 An fluxerint capilli:  
 Sed id scio, decere  
 Ludos amœniores  
 Èò magis senem, quò  
 Fatum magis propinquat.

## I N H I R V N D I N E M.

Quid vis tibi scelestæ  
 Quid vis, hirundo, fiat?  
 An vis capi volucres  
 Alas tibi vt recidam?  
 An linguam, vt ille Tereus,  
 Mauis metam nocentem?  
 Cur mane somnianti  
 Ista loquacitate  
 Mihi eripis puellam?

## L I B E N T E R F V R I T.

Gallus furebat Atys  
 In montibus Cybellen  
 Magno sonans boatu.

Necnon aquam bibentes  
 Apollinis disertam  
 Ripi Clari, furore  
 Acti subinde clamant.  
 Ego simul Lyæi,  
 Nardi simul fragrantis  
 Satur, simul puellæ,  
 Libens libens proteruo  
 Præceps agor furore.

## AMOR VINCIT.

Libens libens amabo,  
 Amare Amor iubebat,  
 Sed ipse mente captus  
 Parere negligebam.  
 Hic ergo sumit arcum,  
 Et auream pharetram,  
 Me prælio lacefens.  
 At ipse verò tectus  
 Lorica, vt olim Achilles,  
 Hastaque, parmulaque,  
 Audax repugno Amori.  
 Ferox petit, recedo.  
 Exhausta ybi pharetra,  
 Ringit: dein seipsum

Im-

Immittit vt sagittam.  
 Mihique soluit artus,  
 Et intimum subit cor,  
 Nil parmula tegente.  
 Nam cur foris petamur,  
 Cùm prælium sit intus?

DIVITIAS CON-  
TEMNIT.

Nil Sardium potentem  
 Curo Gygem, nec vlo  
 Amore tangor auri,  
 Nec æmulor tyrannis.  
 Perfusa curo barba  
 Nardo vt mihi nitescat.  
 Curo vt rosæ rubentes  
 Caput mihi coronent.  
 Id curo iam quod instat.  
 Cui nota craftina est lux?  
 Ergo bibas oportet,  
 Libans voces Lyæum,  
 Ludásque per serenum.  
 Ne fortè, si occuparit  
 Morbus, neget bibendum.

B.i.

## IN AMOREM.

Thebana dicas arma,  
Troiana cantat ille:  
Meas at ipse clades.  
Me non eques, pedesve,  
Non perdidere naues:  
Quoddam nouum sed agmē,  
Ab acribus petens me,  
Et fascinans ocellis.

## POCVLVM.

Argenteum toreuma,  
Vulcane, quæso nobis  
Polito, non Gradiui  
Quidem furentis arma.  
Quid curo prælari?  
Sed poculum per amplum,  
Quantum potes profundum.  
Cælato verò in illo  
Nec plaustra sint, nec astra,  
Nec Orion aquosus.  
Quid Pleiades moramur?  
Quid astra item Bootæ?  
Fac vineam virentem,

Cum mitibus racemis.

Fac aureos prementes  
Pulchrum simul Lyæum,  
Cupidinem, Bathylum.

## ALIVD POCVLVM.

Ars bella delicatum  
Scyphum mihi elabora,  
Argenteum: nouum ver  
Effinge veris hora,  
Hora rosas ferente,  
Rosas quibus nec vlla  
Mihi prior voluptas.  
Id verò vbi explicaris,  
Affinge potionem,  
Dulcissimam sed illam.  
Nefarium sacrorum  
Ritum aufer exterum, nec  
Sit tristis vlla imago.  
Cælato verò nobis  
Prolem Louis Lyæum.  
Dulcémque temperato  
Mystis Venus liquorem,  
Quæ nuptiis amica.  
Insculpe Amorem ineruem,

B.ij.

Et Gratias iocantes,  
Vitis sacræ sub vmbra,  
Pendentibus racemis,  
Et pampino frequentis.  
His insuper venustos,  
Ni Phœbus ipse ludat,  
Addas velim iuuencos.

## B I B E N D V M E S S E.

Terræ bibunt feraces,  
Plantæ bibunt & illas.  
Auras Thetis marina,  
Et aureus Thetin Sol:  
Bibitque Luna Solem.  
Quid increpatis ergo  
Me, dum bibo, sodales?

## B L A N D I T V R A M I C A E.

Et Tantali filex stat  
Propter Phrygum fluenta,  
Pandionisque nata  
Volucris est hirundo.  
Speculum forem sed ipse,  
Quod semper intueris.  
Vestis forem decora,

Vt semper induas me.  
O si latex pèrennis  
Fiam, lauemque totam.  
Te, lux mea, vt linam, sim  
Nardus libens odora.  
Sim fascia & papillis.  
Collo vnio decenti.  
Plantisque mollicellus  
Sim calceus tenellis,  
Vt ambulans teras me.

## D E S E I P S O C A L E N T E.

Date mi, date, ô puellæ  
Cyathum, vt bibam, Lyæi.  
Quia me bibit quoq; ipsum  
Calor aridus iam, & ægrè  
Animam trahens anhelio.  
Date flosculos Lyæi.  
Date ferta queis calentem  
Amo frigerare frontem.  
Penitissimos amorum  
Aliter tego calores,  
Aliquoque condo corde.

IN EFFIGIE M V N  
Bathylli.

Agedum Bathylli ad vmbram  
Statue arborem virentem.  
Agit et comásque molles,  
Teneræ sonéntque frondes.  
Propè fons fluat perennis  
Suadæ, strepente Lympha.  
Quis eò applicare nolit,  
Vbi viderit viator?

## IN AVRVM.

„ Si prorogare vitam  
„ Mortalibus valeret,  
„ Seruare nitar aurum:  
„ Sumpto appetens vt auro  
„ Me Parca præteriret,  
„ Sin nemini liceret  
„ Vitam licebit vnquam,  
„ Quare labore frustra,  
„ Præoccupóque luctus?  
„ Nam si mori necesse est,  
„ Quid me iuuabit aurum?  
Optamus ergo posthac  
Dulci madere vino

Cum commodis amicis:  
Toroqué molliore  
Pulchram tenere Cyprin.

H I L A R I T E R . V I -  
uendum.

„ Mortalis editus sum  
„ Vitæ ad viam terendam:  
„ Quantumque iam peregri  
„ Cursum scio, at latet me  
„ Quantum viæ supersit.  
Tu verò abito cura,  
Mecum tibi nihil sit.  
Lætabor ante metam,  
Iocabor, atque pulchro  
Saltabo cum Lyæo.

## B I B E N D V M E S S E .

Mihi bibendo vinum  
Ærumpna dormit omnis.  
Ad me quid attinet labor?  
Quid cura, quidve luctus?  
„ Mors me manet, nolim licet.  
„ Vitæ iuuat quid error?  
Ergo merum bibamus,  
Pulchri merum Lyæi.

B. iiiij.

» Bibendo nanque vinum  
» Ærumna dormit omnis.

## I D E M.

» Simul subit Lyæus,  
» Curæ graues quiescunt,  
Lætusque canto, Crœsi  
Ceu possidens talenta.  
Et cuncta mente calco,  
Iacens humi, decorus  
Nigris caput corymbis,  
Armare, at ipse poto.  
Affer scyphum puer, da.  
Nam præstat ebrium me,  
Quam mortuum iacere.

## I D E M.

Bacchus puer Tonantis,  
Liber pater, Lyæus,  
Dum pectus it sub imum  
Dulci rigans liquore,  
Saltare perdocet me.  
Nec vilis ebrioso  
Mea est mihi voluptas.  
Cum carmine atque plausu

Delectat alma Cypris.  
Post illa salto rursus.

## A M I C A M S V A M

iubet pingi.

Age verò summe pictor,  
Roseæ magister artis,  
Agedum meam puellam,  
Licet absit illa, pingi.  
Ego te modum docebo.  
Facito comam nigrantem,  
Tenuique crine mollem.  
Syriūmque spiret illa,  
Si cera possit, vnguen.  
Nigricante sub capillo,  
Age frons abusque primis  
Niteat genis eburna.

Duplicem supercili arcum  
Caeue misceas, secèse:  
Coëcant, sed id latenter,  
Veluti vides in illa.  
Pilus hinc & hinc nigrescat.  
Facito igneos ocellos,  
Vt habet Minerua, glaucos;  
Venus alma, mollicellos.

Tyrio rosæ colore,  
Niueoque lacte mixto,  
Fieri genas oportet.  
Facito labella Suadæ,  
Quibus osculum laceſſat.  
Tenerum deinde mentum  
Dominæ, & polita ceruix  
Charites habeto circùm  
Nitidas ſimul volantes.  
Supereſt vt induatur  
Tyria ſtola, puſillum  
Cutis vt tamen pateſcat,  
Reliquosque prodat artus.  
Satis eſt: videre nanque  
Videor mihi. Euge, forſan  
Etiam loquere cera.

## B A T H Y L L U S P I N G I T V R.

Mihi pinge ſic Bathyllum  
Veluti docebo, pictor.  
Facito comas decentes:  
Color intus vt niger ſit,  
Rutilante parte ſumma,  
Cincinnum inordinatis  
Face liberum capillis,

Vt amant, ſinens iacère.  
Supercili corona  
Nigtior draconē frontem  
Volo cingat hinc & inde,  
Tenerámque, roſcidámque.  
Oculum nigrum, trucémque  
Facito, & tamen ferenum.  
Habet illud à Gradiuo,  
Habet iſtud à Cythere.  
Dubia vt citetur hinc ſpes,  
Pauidusque terror illinc.  
Gena verò more mali  
Rosea induatur ipſi  
Tenui, nouaque pube.  
Et eam, vt potes, pudoris  
Proprius rubor coloret.  
Labra nescio yt tibi ſint  
Faciunda, ſunto verò.  
Tenera, atque plena Suadæ.  
Simul ipſa porrò cera  
Taceat, ſimul loquatur.  
At amplius eſto vultus.  
Sed eburna præteribam,  
Adonidusque colla.  
Age Mercuri manus da,

Mediumque pectus illi,  
 Pugilis femur Laconis,  
 Semeleiique ventrem,  
 Medium deinde pubem  
 Veneris rudem explicat, iam  
 Venerem sed appetentem.  
 Tua sed parum benigna ars.  
 Speciosiora quæ sunt  
 Vetat exhibere terga.  
 Quid opus pedes docere?  
 Pretium dabo quod optes.  
 Age Apollinem mihi istum  
 Aboleo, fac Bathylle.  
 Fuerisque si profectus  
 Etiam Samum, fac ipso  
 Mihi Apollinem ex Bathyllo.

## DE CUPIDINE VINCTO.

Musæ florea vincla  
 Capti nuper Amori  
 Iniecere coronas,  
 Vinctum dantque decori.  
 Nunc autem Cytherea  
 Quærens munera præfert  
 Queis absoluat Amorem.

Sed quanuis redimatur,  
 Herebit tamen illic,  
 Iam seruire suetus.

## FVRIT BIBENS.

Merum merum Lyæi  
 Prolixius propina.  
 Furam furam libenter.  
 Furebat olim Orestes,  
 Alcmæon & furebas,  
 Vterque matre cæsa.  
 Qui neminem necauit,  
 Sed optimum Lyæi  
 Vinum bibi rubellum,  
 Furam furam libenter.  
 Porro Hercules furebat  
 Quassans grauem pharetram,  
 Arcus & Iphitæos.  
 Necnon furebat Ajax,  
 Cum parmula vibrans &  
 Grauem Hectoris macharam.  
 Ego scyphum capacem  
 Habens, & hanc coronam,  
 Arcu sine, & machara,  
 Furam furam libenter.

R E C E N S E T A M O-  
res suos.

Tu, si referre quicquid  
In omnibus viretis  
Vbique frondis extat,  
Aut persequi recensens  
Maris vales arenas,  
Solus velim meorum  
Logista sis amorum.  
Primùm quidem ex Athenis  
Viginti habes amores.  
His quindecim sed adde.  
Deinde pone amorum  
Agmen Corinthiorum.  
Achæiæ est Corinthus,  
Formosæ vbi puellæ.  
Iam Lesbios referto  
Nobis Ionas vsque,  
Et Cariam, Rhodumque.  
Bis mille sunt amores.  
Tantumne, ais, amasti?  
Nondum Syros amores,  
Nondum tenes Canobi,  
Cretæve cuius vrbes

Furens habet Cúpido.  
Quid vis tibi referri  
Omneis supra Gadiras  
Et Baetrios, & Indos  
Cordis mei calores?

## D E A M O R E.

Dilecta tu quotannis  
Quidem venis hirundo,  
Struísque vere nidum.  
Bruma sed is, latebras  
Nilum, peténsve Memphim.  
At verò sœuus ille  
Amor meo perennis  
In corde nidulatur.  
Hic pinnulas Cupido  
Agit nouas, hic ouo  
In ipso adhuc fouetur,  
Iam semi natus ille est.  
Proinde conqueruntur  
Pulli, & strepunt hiantes.  
Atque interim minores  
Fœtus alunt adulti.  
Qui rursus educari  
Gignunt nouos amores.

Nobis quid ergo fiet?  
Clamore persequi tot  
Cupidines nequimus.

## AD PVELLAM.

Ne me fuge, ô puella,  
Canos videns capillos.  
Ne verò quod tuo flos  
Æui renidet ore,  
Fastidias amantem.  
Vide vel in coronis  
Album rosæ implicatum  
Vt lilium decens sit.

## DE EVROPA.

Hic, ô puer, iuuencus,  
Mihi quidem ut videtur,  
Est Iuppiter supremus.  
Nam fœminam insidentem  
Sidoniam vehitque  
Tergo, secatque latum  
Mare vngulis. nec ullus  
Taurus gregem relinquat,  
Tranaueritque pontum,  
Ni Iuppiter sit ipse.

MOI-

MOILLITER VI-  
uendum.

Quid rhetorum doces me  
Scita & necessitates?  
Orationibus quid  
Opus milii tot istis,  
Quibus nihil iuuamur?  
Potare me doceto  
Mollis merum Lyæi.  
Quin aurea doce me  
Ridere cum Cythere.  
Cani caput coronant.  
Aquam puer dato iam,  
Profunditoque vinum;  
Menteim mihi sopito.  
„Nam mortuum teges me  
„Breui mora. Sepultus  
„Nil concupiscit vñquam.

## VER.

Vide ut tepente vere  
Charites rosis abundant.  
Vide ut noti quiescant,  
Placido & mari stet ynda.

C.i.

Vide ut natent anates,  
Redeant grues peregré.  
Radiis Apollo puris  
Nitet, atque lustrat orbem,  
Pepulitque nubium vmbras.  
Hominum nitent labores,  
Sola frugibus grauescunt,  
Oliua parturit iam.  
Bromij merum coronant.  
Foliis vbique foetus  
Nitidus, micátque ramis.

## DE SE IPSO.

Ego senex quidem sum,  
Sed plus bibo iuuencis.  
Si quando verò saltó,  
Vtrem iuuat vibrare,  
Fastidióque thyrsum.  
Pugnare si quis optet,  
Fas esto, præliator.  
Cedo scyphum puer mi,  
Et melle temperatum,  
Ac dulce funde vinum.  
Ego senex quidem sum,  
Saltabo vero, vt olim

Silenus in popello.

## IDE M.

Vbi suave poto vinum,  
Animo repente læto  
Celebro nouem Camœnas.

Vbi suave poto vinum,  
Subitò molesta cura, &  
Operosa consili vis  
Rapidas eunt in aurás.

Vbi suave poto vinum,  
Subitò iocos resoluens,  
Roseas me agit per auras  
Hilaré ebriumque Bacchus.

Vbi suave poto vinum,  
Simul indui coronam,  
Manibus meis paratam,  
Varioque flore textam,  
Placidam celebro vitam.

Vbi suave poto vinum,  
Liquido madens odore,  
Lepidam & tenens puellam,  
Venerem cano iocosam.

Vbi suave poto vinum,  
Animum vt meū explicauí,

C.ij.

Cyathi in modum repandi,  
Thiaſo frequente lætor.  
Vbi ſuaue poto vinum,  
Proprium hoc meum eſt lucellum:  
Et id auferens abibo.  
„ Siquidem mori ſtat omneis.

## DE C V P I D I N E.

Apem roſæ Cupido  
Non cernit iſſidentem,  
Incautus at feritur.  
Manūque fauciata  
Tenellus eiulauit.  
Proinde cùm decoram  
Volasset ad Cytheren,  
Heus occidi, occidi, inquit,  
Mater, relinquo vitam;  
Nam me puſillus anguis,  
Alas habens, momordit,  
Apem vocant coloni.  
At ſi, inquit illa, fili,  
Apis perurit iſtuſ,  
Quantum putas laborent,  
Quos tu feris ſagittis?

## B A C C H U M L A V D A T.

Hilari merum bibentes,  
Bromium patrem canamus.  
Bromius choři repertor.  
Bromium iuuant canentes,  
Bromium iuuant iocantes.  
Bromius Cupidini par.  
Bromio calet Cythere.  
Temulentia & per ipsum  
Genita eſt, Charisq; pulchra.  
Per eum dolor ſopitum.  
Per eum quiescit angor.  
Vbi poculum repletum  
Pueri ferunt venusti,  
Fugit uſque cura mixta  
Rapidis noti procellis.  
Oneremur ergo vino,  
Cura & leuemur omni.  
„ Tibi quid dolore prodeſt,  
„ Et confici querelis?  
„ Quis enim futura nouit?  
„ Sua cuique vita cæxa eſt.  
Iuuat vuidum Lyæo  
Agitare me chores.

C. iij.

Iuuat & fragrantem oliuo  
Decente cum puella  
Hilari vacare ludo.  
Quod adest molestiarum,  
Sibi qui volent habento.  
Hilari merum bibentes,  
Bromium patrem canamus.

## DE SE I P S O.

Cupio quidem iocosi  
Bromij choros requirens:  
Amo verò cum iuuencis  
Fidibus canens bibénsque,  
Hyacinthinis corollis  
Caput implicatus, vt cum  
Teneris iocer puellis,  
Amo maximè inter omneis,  
Nihil inuidere possum,  
Neque nosse contigit mihi  
Liuorem adhuc malignum;  
Leuiora tela linguae  
Fugio timens procacis.  
Fugio, exocrórque semper  
Eplis citata festis,  
Genialibúsque bella:

Vbi maximè choreas  
Vernante cum puella  
Cithara sonante plundo.  
Iuuat otium & quies me.

## DE CICADA.

Nimis es, Cicada, fœlix:  
Quod arboris supremum,  
Saturata rore pauco,  
Vbi insides cacumen,  
Dominæ in modum potentis  
Modulare dulce carmen.  
Tua nanquæ cuncta lætis  
Ea quæ vides in agris:  
Quicquid ferunt & horæ.  
Amor es boni coloni,  
Quia nil soles nocere.  
Veneranda verò vates  
Æstatis appetentis.  
Volitas amata Musis,  
Volitas amata Phœbo:  
Tibi qui dedit suauem,  
Liquidamq; habere vocem.  
Neque te senecta carpit.  
Sapiens, humoque nata,

C.iiij.

Studioque læta cantus,  
Minime patens dolori,  
Sine sanguine, ô Cicada,  
Similis ferè deis es.

## S O M N I V M.

Mihi currere in quiete  
Nuper videbar, alas  
Humeris gerens volucres.  
Sedenim Cupido, plumbo  
Pedibus licet grauatis,  
Me prendit affecutus.  
Sibi somnium quid hoc vult?  
Ego sic quidem putauit:  
Multis amoribus qui  
Miser implicatus vror,  
Aliis quidem resoluat,  
Sed in hoc manebo vincitus.

## TELA C V P I D I N I S.

Veneris maritus olim  
In Lemniis caminis  
Ex ære fabricabat  
Amoribus sagittas.  
Venus ipsa verò melle

Bona cuspides linebat.  
Sed eas Cupido felle  
Puer eius imbuiebat.  
Ibi cum impetu Gradius  
Validam vibrabat hastam,  
Et Amoris eleuabat  
Leuiora tela ridens.  
Grauis haec tamen videtur,  
Amor inquit, experire.  
Iacit: excipitque Mauors.  
Venus & sub ipsa ridet.  
Ibi Mars statim ingemiscens  
Grauis, inquit, aufer illam.  
Tibi serua, ait Cupido.

## I N A M O R E M.

Graue non amare prorsus.  
Graue rursus est amare.  
Graue ter quatérve amare,  
Nec amoribus potiri.  
» Minimi genus putatur.  
» Sapiens iacet, probusque.  
» Pretium intuentur vnum.  
Pereat sed ille, primus  
Pretium impius qui amauit.

C.V.

» Iubet abnegare fratres  
 » Pretium, iubet parentes.  
 » Ciet & cruenta bella.  
 » Quod acerbius, perimus  
 » Miseri per hoc amantes.

## SENEX SALTANS.

Amo senem venustum, &  
 Iuuenculum choreuten,  
 Verum senex choreas  
 Plaudens, senis capillos,  
 Mentem gerit iuuenci.

## HOMERI LYRA.

Age da lyram mi Homeri,  
 Vbi chorda ab'est cruenta.  
 Age da scyphos sacrarum  
 (Volo temperare) legum:  
 Ut humum ebrius lacefam,  
 Pede verberans soluto:  
 Citharaque concinente,  
 Rabie furens modesta,  
 Temulenta verba fundam.

## AD PICTOREM.

Age pictor optime audi  
 Lyricæ modos Camœnæ.  
 Beſecinthiásque vento  
 Minimè suo sonantes  
 Age tibias iocofis  
 Penitus relinque Bacchis.  
 Age pinge ciuitates  
 Hilaras, nec absque risu.  
 Modò verò cera possit,  
 Etiam suas amantum  
 Mihi pinge sanctiones.

## DE BACCHO.

Iuuenē in scyphis valentē,  
 Minimè in scyphis pauētem,  
 Lepidum in scyphis choreute  
 Faciens deus reuenit:  
 Homini meros amores,  
 Hilarum ferens temetum.  
 Genitrice vite natum,  
 Acinis in ebriosis  
 Cohibens adhuc reuinctum,  
 Ut vbi sit tua secta,

Vigeamus absque morbo;  
 Vigeamus vsque membra,  
 Vigeamus vsque mentem:  
 Redeunte donec anno  
 Redeat nouus Lyæus.

V E N U S M A R I  
 emergens.

Imitatur ergo pontum  
 Manus, exprimitque cælo.  
 Furor artis ergo disco  
 Breuiore miscet vndam  
 Maris in patente dorso.  
 Igitur repertus est qui  
 Niueam Cyprin supernè,  
 Tenerámque cælet, ipsam  
 Nimis in deos superbus  
 Generis déum parentem.  
 Ita singit iste nudam,  
 Ut aquis tegantur vna  
 Ea quæ nefas videri.  
 Placidis vagatur vndis,  
 Velutique muscus albens  
 Nitet in mari sereno,  
 Ita fluctibus renidens

Mediis

Mediis Venus natando  
 Trahit, atque pellit vndam,  
 Roseas supra papillas,  
 Ferè adusque molle collum  
 Secat vnda vaſta Cyprin.  
 Medio sed illa fulco,  
 Hyacintho ut implicatum  
 Bene lilyum rubente,  
 Placido mari relucet.  
 Ibi cærulúsque Delphin  
 Agitat frequens choreas,  
 Sedet ipſiúsque dorſo  
 Amor, & Cupido, ridens  
 Hominum dolos vterque.  
 Ibi piscium recuruus  
 Salientium chorúſque,  
 Paphiéque ludit alma,  
 Neque non natando ríder,

I N V I N V.

Calathis nigros racemos  
 Iuuenes viri reſectos  
 Humero ſuper valente,  
 Lepidæ & ferunt puellæ.  
 Sed ybi in lacum dederunt,

Referunt pedem puellæ,  
Maribus premuntur vñæ.  
Pedibus merum resoluunt,  
Bromium viri canentes:  
Lacus & repletur hymnis.  
Iuuat hos videre dulcem  
Doliis nouum Lyæum,  
Vbi feruet ille, apertis.  
Simul hunc senes biberunt,  
Tremulis choros celebrant  
Pedibus, vibrântque canos.  
Speculatus at puellam  
Iuuenis decens vñustam  
Petit abditus, sub vmbra  
Tenerum in latus iacentem,  
Grauitérque consopitam.  
Ibi eam Cupido mulcens,  
Suadet facem malignus  
Violare nuptialem.  
Iuuenem tamen repellit  
Mulier, nec audit illum.  
At vbi nihil valere  
Sua sentit ille verba,  
Subigit pati misellam.  
» Siquidem ebrius Lyæus

» Petulante cum iuuentâ  
» Ita ludit insolenter.

Variæ ferax coronæ  
Cano ver, rosamque vernam.  
Bone tu adiuua sodalis.  
Rosa spiritus deorum,  
Hominum rosa est voluptas.  
Vbi floridi tepescunt  
Viridante vere amores,  
Decus addit illa Nymphis.  
Rosa suauium Cytheres.  
Rosa cura opusque vatuum, &  
Decet ipsa planta Musas.  
Etiam asperis rosetis,  
Licet irrito labore,  
Iuuat admouere palmas.  
Iuuat & subinde Amorum,  
Vbi legeris, suauem  
Manibus fouere florem,  
Genialib[us]que mensis,  
Trietericisque Bacchi,  
Rosa quæritur decora.  
Sine flore quid fit illo?

HAYLIBRARY

Roseis reluctet Eos  
 Digitis : color Cytheres  
 Roseus : nitent lacertis  
 Roseis vbiique Nymphæ.  
 Medicatur hic & ægris,  
 Neque mortuos relinquit:  
 Violénsque vincit æuum.  
 Senium rosæ venustum  
 Retinet iuuentæ odorem,  
 Age proferamus ortum.  
 Vbi spumeis ab vndis,  
 Genitalibꝫque quondam  
 Venus editur profundi :  
 Iupiterque bellicosam  
 Cerebro parit Mineruam :  
 Sola tunc rosæ superbum  
 Etiam edidère germen.  
 Nouus, inclytusque fœtus.  
 Chorus hic deum beatus,  
 Rosa fiat vt venusta,  
 Vbi nectare imbuisset,  
 Ita nobilem excitauit  
 Rigo exerens rubeta  
 Fruticem tuum Lyæ.

## D E S E I P S O.

Iuuenes ego alloquebar,  
 Pedetentim at illa venit,  
 Vbi vedit alloquentem.  
 Ego tunc ego in choream  
 Propero senex volucris.  
 Eo iam, mane Cybelle.  
 Age da mihi coronam  
 Procul esto nunc senectus.  
 Genium volo choreis  
 Celebrare cum iuuencis,  
 Iuuenis repente factus.  
 Aliquis mihi liquorem  
 Properato ferre dulcem  
 Grauida Lyæ ab vua, vt  
 Videat senis vigorem :  
 Loqui adhuc quidem valētis,  
 Bibere & probè scientis,  
 Furere & simul venuste.

## I N A M A N T E S.

Equi solent inustum  
 Coxis habere signum,  
 Notescit & tiara

Parthus sua notatus.

Statim sed ipse quemvis

Nosco videns amantem :

In corde nanque signum

Quoddam gerit pusillum.



SAPPHVS LESBIAE

carmen ad Venerem, eodem

Helia interprete.

Sedibus gaudens variis, dolisque,  
O Iouis proles Cypri sempiterna,  
Confici ne me patiaris, oro,

Diua dolore.

Huc ades tandem : precibus vocata  
Si meis vnquam celer affuisti.

Tecta me propter quia s̄æpe linquis  
Aurea patris.

Et venis curru properante vecta.

Te nigris ad me tenueis per auras

Passeris alis agiles ferebant

Æthere ab alto.

Hic iugales vix tibi sunt soluti,  
Ore cum tu me, dea, sempiterno  
Incipis ridens animum rogare

Quæ mala tangant:

Cur vocem te, quid mihi tum furenti  
Maximè poscam fieri, quis autem  
Seruiat captus mihi. Quis laceſſit

Te mea Sappho?

Si fugit nunc te, citò prosequetur:

Accipit nunquam, dabit usque dona.

Non amat te nunc, at amabit, & quod-  
cunque iubebis.

O fauens adsis quoque nunc, meūmq;  
Libera curis animum molestis,  
Adiutrix oro mihi sis in omni

Fortis amore

EIVSDEM SAPPHVS.

Iam pulchra quidem Diana,

Iam Pleiades occiderunt :

Iam nox media est, & hora

Iam præterit. ipsa verò

Ah sola cubo misella.

## E I V S D E M , I N T E R P R E T E

Catullo, postremis quatuor uer-  
sibus Heliae exceptis.

Ille mī par esse deo videtur,  
Ille, si fas est, superare diuos,  
Qui sedens aduersus identidem te  
Spectat, & audit  
Dulcē ridentem: misero quōd omneis  
Eripit sensus mihi. nam simul te  
Cypria aspexi, nihil est super mī  
Quod loquar amens.  
Lingua sed torpet, tenueis sub artus  
Flamma demanat, sonitu suopte  
Tinniunt aures, gemina & teguntur  
Lumina nocte.  
Defluit sudor, tremo tota prorsus,  
Sicca iam non me mage pallet herba,  
Proxima vt morti, videor perinde  
Exanimata.

## A D C L A R I S S.

virum Petrum Mon-  
taureum.

Aureus cui mons dat habere nomen,  
Splendidum nomen meritō, atq; celsum:  
Nam velut terras superant iacentes  
Ardua montis,  
Et magis fulger, pretiōque prāstat  
Cæteris aurum facile metallis,  
Emines sic tu grauitate summa  
Clarus, & arte.  
Rursus en mitto tibi Anacreontem,  
Lesbia iunctum bene cum puella.  
Quis neget? plectro, fidibūisque eisdem  
Ludit vterque.

Hic rosa gaudet, Venere, atque Baccho:  
Illa nec Bacchum fugit, & roscarum  
Flore lætatur, Venerisque numen  
Maximè adorat.

D.i.

Hic furit, verum aut simulat furorem:  
 Te furor, Sappho, miseram furor te  
 Impulit tandem ut rueres ab alta

Leucade præceps.

Nec rudem verò, neque perpolitum  
 Mitto, sed qui iam minus impolitus,  
 Et queat paulò melior videri,

Quām fuit antē.

Omnibus totus poterit probari,  
 Si tibi parte ex aliqua probetur,  
 Nec malus cuiquam perhibēdus author  
 Ipse videbor.


1040

34943

290293 ВА БИБЛИОТЕКА

С Н Р С

1040



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

398  
398